

nes, ad declinandam offensam, ubi e re sua foret, veræ posset substituere: sunt enim ipsi substantialitatis, i. e. rationis, ob quam aliquod substantia dici mereatur, tria fundamenta, & sic introduxit triplicis ordinis substantias. Primi ordinis est, *quod nulla re indiget ad existendum.* Secundi, *quod solo concursu Dei ad existendum eget.* Tertii, *quod immediatum est subiectum alicujus proprietatis, qualitatis, attributive.* Vide, quam circa conceptum substantiæ titubet atque vacillet. Animadversione quoque dignum est, quod hoc nomine mentem & corpus vocet substantias, ut patet e definitione 6. & 7. huic immediate subjunctis. Commode etiam Spinoza cogitationem & extensionem secundum hanc definitionem Cartesianam substantias appellare potuisset: sunt enim subiecta diversorum attributorum, qualitatum, proprietatumve; sed, licet impie & profane egerit, tamen hac in parte quam Cartesius egit magis candide & prout sensit locutus fuit. Si Vir Cl. cum quibusdam Cartesianis dicere vellet, res creatas non esse simpliciter, sed secundum quid substantias; regererem ego, istum loquendi modum, utpote quo res creatæ quam facillime in attributa & mo-